

Tomo III. Locorum p. 541. seqq. a B. DANNAVERO in Hodosophia p. 489. seqq. a B. D. BAIERO in Compendio Theologiae Positivae Part. III. Cap. VII. §. XXIII. aliisque Theologis nostratibus. Praecipua differentia in eo consistit, quod Evangelium indicet, quid Deus pro nostra aeterna felicitate fecerit, faciat, facturus sit; Lex autem, quid homo facere debeat: illud ergo pertinet ad beneficia; haec ad Leges stricte sic dictas. Leges stricte sic dictas oppono non tantum Legi latius sic dictae, quae etiam complectitur Evangelium (de quo latiori vocum Legis et Evangelii significato vid. B. BAIERVS in Comp. Theol. Positiv cap. cit. §. II.) sed etiam Legi in ea latitudine acceptae, ut dividatur in obligantem et permittentem, quod in primis fecit Celeberrimus Ictus D. GOTTLIEB GERH TITIVS in Obs. ad Pufendorfi Officia Hom. et Civis lib. I. Cap. II.

§. III.

Iam si referantur Lex et Evangelium ad homines in praesenti corruptionis statu consideratos, *effectus* maxime luculentum suppeditat discrimen. Lex divina locum etiam habebat apud homines adhuc integros, hi per vires cum imagine divina concessas exacte obsequi poterant legibus divinis, atque hinc spem habebant summae et aeternae felicitatis. Post lapsum vero, ubi omnes omnino homines a parentibus suis peccato originali infecti, propriisque peccatis inquinati carent gloria, quam coram Deo habere debebant, atque non possunt exacte servare legem, tantum abest, ut Lex ipsis spem faciat salutis aeternae, ut potius ob veracitatem et justitiam Dei *metu* summarum et aeternarum poenarum *afficiat*, atque *ad desperationem adigat*. Evangelium vero gratuitam peccatorum remissionem per et propter meritum Christi fide apprehensum, *solatur* desperabundos peccatores, iisque *spem salutis aeternae facit*. Idem discrimen ex Aug. Conf. ejus Apologia et Articulis Smalcald. ita indicatur in Formula Concordiae

Discrimen ex effectu.